



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 99. Nonnulli Cardinalium reconciliationi obluctantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

nodum ablegati sunt, eisque facta est po- Sæcul. XVI.
 testas, ut Lateranensi Concilio Regis no- A. C. 1512.
 mine adhærere possent.

§. XCIX.

*Nonnulli Cardinalium reconciliationi
obluſtantes.*

Quamprimum Romæ fama increbuit,
 quod Cinthius e sententia Pontifi-
 cis rem gessisset, ac Leo Regi pollicitus es-
 set, se Carvajalum & Sanseverinatem Car-
 dinales pristinis suis honoribus resti-
 tuturum, nonnulli, pauci tamen, huic con-
 silio obluſtabantur. Præprimis Cæsaris
 & Ferdinandi Regis Legati, quibus Car-
 dinales Eboracensis natione Anglus, &
 Sedunensis patria Helvetus accesserunt,
 promissæ reconciliationi sese opponebant,
 caussati, injuriam Julio II. irrogari, eo-
 quod ille hosce Cardinales omnino a fi-
 delium coetu segregare, necessarium ju-
 dicasset, jam vero nimiam veniæ facili-
 tatem maximam esse ajebant novæ re-
 bellionis illecebram. Leo Papa, li-
 cet fidei Galliarum Regi datæ tena-
 cissimus esset, palam tamen queren-
 tibus Legatis obsistere non audebat, sed
 tunc temporis duntaxat supplices horum
 Cardinalium literas, re adhuc indecisa,
 in Synodo perlegi jubebat, quamprimum
 vero Massiliensis Episcopus ac Ludovi-
 cus

Secul. XVI
A. C. 1513.

cus Forbinus Romam venerant, interdicto, cui Franciæ Ecclesiæ subiciebantur, interrupto, citationis terminum, qui Galliæ Episcopis tanquam seditiosis a Julio II. sub poenarum comminatione præfixus erat, prorogavit, simulque de modo utrumque Cardinalem in gratiam recipiendi deliberavit.

§. C.

Carvajalus & Sanseverinas Cardinales in Papæ gratiam recepti.

Labb. collect. Conc. t. 14. p. 160. Ciacon. in Leon X. t. 3. p. 312. Raynald. ad ann. 1513. n. 44. 45. & seq. **R**ebus ita dispositis, decretisque, ambo Cardinales supplicantium more adeo secreta Romam petebant, ut nec de eorum itinere, nec de adventu notitia haberetur. Postmodum ad Vaticanum palatium vesperascente celo die vigesima sexta Junii deducebantur, postera autem die nonnisi habitu Clericorum secularium violaceo induti in pleno Patrum Senatu comparuerunt, ipso summo Pontifice præsentem, ac Pontificalibus insigniis ornato. Assenserant Leoni omnes Purpurati, soli tamen Eboracensis ac Sedunensis Cardinales reluctabantur, qui cum flecti haud possent, a confesso abesse rogabantur. His abeuntibus ambo Cardinales consistorii aulam ingrediebantur, ac supplices ea, quæ in literis suis cala-